

42 **¶** Atq; ob hoc medium quidem uniuersi: infra fines autem ceteriores cæli: supra maxime omnibus proprie esse uidentur. Quia illud quidem semper manet: fines autem cæli eodem modo sese habentes manent. Quare cum leue quidem sit id quod sursum pergit: graue autem id quod deorsum fertur suapte natura: is quidem finis qui uersus medium continet infra est: & ipsum etiam medium. Is autem qui uersus ultimum continet supra & ipsum etiam ultimum. Et propterea locus superficies quædam. & quasi uas continensq; esse uidetur. Præterea locus simul cum ipsa re quodammodo est. Quippe cum ipsi fines sint simul.

¶ Capitulum sextum in quo ostendit qualiter aliquid sit in loco.

43 **¶** **A** T qui corpus quidem id est in loco: extra quod aliquid est corpus continens ipsum. Quod uero non ita se habet non est in loco. Quapropter etiam si aqua fuerit tale: partes quidem ipsius mouebuntur. Alia namq; aliam continet. Vniuersum autem partim mouebitur: partim haud mouebitur. Ut totum enim simul locum non mutat. Versatur tamen: partium enim hic locus est: & sursum quidem & deorsum non mouetur. Quædam autem uersantur: & quædam sursum atq; deorsum mouentur: que densitatem habent ac raritatem.

44 **¶** Ut autem dictum est: quædam in loco potentia sunt quædam actu. Iccirco cum id quod est similitum partium continuum est: tum partes potentia sunt in loco. Sed cum sunt se parata: atq; ut in emulo fit se tangunt: tum in loco sunt actu.

45 **¶** Et rursus alia quidem per se ut omne corpus aut latrone aut accretione mobile per se alicubi est. Cælum autem ut dictum est non est alicubi totum: neq; est ullo in loco: si nulum ipsum continet corpus: sed quo mouetur: hoc & locus est partibus. Alia namq; partium alii heret. Alia uero per accidens. Ut anima atq; cælum omnes namq; partes quodammodo sunt in loco. Circumquaq; enim alia aliam continet. Quapropter supremum quidem corpus uersatur. Vniuersum autem alicubi non est. & ipsum est aliquid. Quod enim alicubi est: & ipsum est aliquid: & insuper aliquid aliud extra se habet: quod continet. At præter uniuersum ac totum nihil est extra.

46 **¶** Et propterea omnia sunt in cælo: forsitan enim cælum est uniuersum. Est autem locus non ipsum cælum: sed aliquid eius: ultimus inquam finis quiescens: quo corpus mobile tangit. Et iccirco terra in aqua: hæc in aere: aer in æthere: & æther in cælo est collocatus. Ipsum uero cælum nullo in alio corpore est ulterius collocatum.

¶ Capitulum septimum in quo ex diffinitione superius data soluit dubitationes supra positas de loco.

47 **¶** **R** Atet autem ex his: si hoc modo locus dicatur: dubitationes omnes solui facile posse. Neq; enim una cum corpore necesse est locum incrementa suscipere: neq; locum esse puncti: neq; in eodem corpore esse duo: neq; iteruallum quod corporeum esse. Corpus est enim quoduis id quod est inter fines corporis continentis: sed non corporis spaciū. Est etiam & ipse locus alicubi: non ut in loco: sed ut finis in eo quod est finitum. Non est enim in loco omne quod est: sed tantum mobile corpus.

48 **¶** Et fertur igitur quodq; cum ratione suam ad locum. Quod enim post aliquid deinceps est collocatum ac illud non uolentia tangit: id propinquum est illi natura: atq; si copulata quod sint: passione caret. Sin uero se tangant passiuæ sunt uicissim atq; actiuæ. Manet præterea quoduis proprio in loco non sine ratione suapte natura. Etenim hæc pars toto in loco ut diuisibilis pars est ad totum. Veluti cum aeris quispiam uel aquæ mouerit partem.